



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Apotheca Spiritualem Pharmacorum Contra Litem Contagiosam Aliosque Morbos

Wichmans, Augustin

Antverpiae, 1626

Cap. XXXII. De S. Cypriano Carthaginensi Episcopo.

urn:nbn:de:hbz:466:1-9653

Fructus autem qui consecutus est, supra recensuimus. Angelus enim stans in mole Hadriani (vbi etiam num eius locus & imago visitur, indeque moles hæc vocatur Castellum S. Angeli) euaginatam gladium quo ciues feriebat visus est in vaginam recondere, ac quacumque in processione inferebatur imago B. Virginis à S. Luca depicta, aer crassus, pestilens & flammeus videbatur dissipari, purgari & serenari: & cessauit quassatio à Domino & plaga in populo.

CAP. XXXII.

De sancto Cypriano Carthaginensi Episcopo.

THascius Cæcilius Cyprianus magnum Ecclesie Africanæ decus Carthaginensis Episcopus, ex eiusdem ciuitatis Senatore laudatissimus, etiam in hoc confessu tutelariam cathedram obtinet. Et merito; quicumque enim vitam eius à Pontio Diacono conscriptam, & ea quæ nos ex eodem huic operi inseruimus, legerit, optimo jure id factum esse probabit. Sed iuuabit audire testem multo me maiorem, ipsum Pontium, qui negotio interfuit: is inter cetera hæc ita scribit: Erupit postmodum lues dira & detestabilis morbi vastitas nimia, innumeros per diem populos à sua quemque sede abrupto impetu rapiens, continuatas per ordinem domos vulgi trementis inuasit. Horrere omnes, fugere, vitare contagium, exponere suos impiè, quasi cum illa

peste

peste morituri etiam mortem ipsam aliquis posset excludere. Jacebant interim tota ciuitate non jam corpora sed cadauera plurimorum, &c. (& paucis interiectis) Quid inter hæc egerit Christi & Dei Pontifex, scelus est præterire, inquit Pontius. Aggregatam primò in loco vno plebem de misericordiæ bono instruit, docens diuinę lectionis exemplis quantum ad promerendum Deum prosint officia pietatis. Quibus alijsque quàm plurimis his similibus dictis, quæ si gentiles pro rostris audire potuissent, forsitan statim credidissent, distributa sunt continuò pro qualitate hominum atque ordinum ministeria. Et quis non sub tanto doctore properaret inueniri in parte aliqua talis militiae per quam placeret & Deo Patri, & iudici Christo, & tam bono interim sacerdoti, qui pro salute suorum subditorum, subditos omnes suos antecedeat, ministerio manus & officio linguæ eisdem opitulatus; nam & tunc temporis præclaram illam de mortalitate siue peste scripsit orationem, in qua eos ad patientiam & ad mortem fortiter ac intrepidè obeundam adhortatus est, in nullo ne in minimo quidem suis partibus deesse fatagens, quo omnes saluos facere posset. His tam bonis & tam pijs actibus superuenit exilium. Hanc enim vicem semper repræsentat impietas vt melioribus peiora restituat.

Excluditur itaque, Demetriano Proconsule homine gentili, & impio procurante, è ciuitate ille qui fecerat boni aliquid pro ciuitatis salute. Ille qui laborauerat ne viuentium oculi paterentur infernæ sedis horrorem, Ille inquam qui excubijs pietatis inuigilans (prò nefas!) ingrata bonitate prouiderat ne omnibus tetram ciuitatis faciem relinquentibus, multos exules, deserta Respu-

blica ac destituta patria sentiret. Sed viderit sæculum, cui inter poenas exilium computatur. Christiano totus hic mundus vna domus est, inquit idem Pontius. Verùm non solo exilio innocentis Episcopi, gentilis rabies contenta fuit. Sanguinem eius sitiebat quem postea crudeliter effudit, sed minimè satiata. Ipse verò vitæ huius jam dudum satur, cùm sententia mortis ei ex tabella prælegeretur conscriptis hisce verbis: Thascium Cyprianum gladio animaduerti placet, generoso & planè ad mortem intrepido animo respondit: Deo gratias.

Epist. 77. Nam quid melius, inquit Augustinus, & animo geramus, & ore promamus, & calamo exprimamus, quàm Deo gratias? Hoc nec dici breuius, nec audiri lætius, nec intelligi gratius, nec agi fructuosius potest. Ut verò ad agrum Sixti peruentum est, ilicò se lacerno birro expolians, fixis in terram genibus preces Domino fudit. Deinde dalmatica sua diaconibus tradita, venientem spiculatorem viginti aureis donari præcepit. Quod imitatus dicitur magnus ille Angliæ Cancellarius & inuictus fidei athleta Thomas Morus, qui jam securi ferendus securiori animo generosè præfatus est carnifici: Tu mihi hodie hanc felicem sortem tribues, quam nemo hætenus tribuit aut tribuere mihi potuit. & sumpto angelotto ex sudario suo, carnifici veniam pro more petenti, eum liberaliter cum amico osculo obtulit. Tandem sanctissimus martyr Cyprianus manu sua oculos sibi regens, Centurionis dextera capite truncatur, sicque victrix anima ad Deum migravit, multis victorijs inclyata anno ducentesimo sexagesimo primo, die decimo quarto Septemb. Sanguinem eius adstantes Clerici orarijs & linteaminibus vidente & invidente persecutore, exceperunt. Reliquiæ eius anno Domini octingentesimo

Thomas
Staplet.
in vita.

mo secundo, in Franciam delatæ fuerunt Lugdunum ad ciuitatem, inde postea ad Monasterium nouum, ac demum ad Ecclesiam Rothnacensem. De quo ita Ioannes de la Haye, Canonicus Tornacens ad Vigiliū Zvrichemium: Ludouicus Pius fundator fuit Rothnacensis Ecclesiæ, cuius filij Caroli tempore, reliquiæ Diui Cypriani, ad Monasterium nouum (quod dicunt esse Endense iuxta Aquisgranum) Lugduno fuerunt delatæ. Cuius Monasterij Abbas aliquando fuit Dominus temporalis totius territorij Rothnacensis, quod vendidit postea Guidoni Comiti Flandriæ, ex quo Abbate tales se suscepisse reliquias profitentur Rothnacenses. Est verò Rothnacum mediò ferè inter Tornacum & veteres Neruios, quos Aldenardanos dicimus (inquit Iacobus Pamelius in vita Sancti itinere, collegiatam habens Ecclesiam insignem. Gratuletur itaque sibi de tanto thesauro Belgium, nec minus quàm olim Africa festis laudibus tantum Martyrem profequatur. Plura de hoc sancto Episcopo & glorioso martyre, vide apud jam dictum Pamelium, qui opera eiusdem nuper doctissimis annotationibus illustrauit quibus vitam ex iisdem operibus accuratè contextam præfixit, optimè de Cypriano & Tertulliano apud omnes meritis. Est etiam in eadem Flandria, Ordinis nostri Præmonstratensis Coenobium ad muros oppidi Niniuensis sitū, SS. Cypriano & Cornelio sacrum, in quo Reliquiæ S. Cornelij asseruantur & incredibili diuersarum nationum deuotione religiosè visitantur miraculis plurimis coruscantes, cuius olim Monasterij Canonicus Balduinus, Officium Ecclesiasticum in honorem SS. Cornelij & Cypriani pulchrè satis cōposuit, quo etiam nū hodie vtuntur, apud quos & varia festa per annum obtinēt. Rogandus interim B. Pontifex Cyprianus, vt nobis miseris illam misericordiam exhibere dignetur,

quam olim in grauissima illa totius Africæ pestilentia subditis suis, immò & gentilibus exhibere dignatus fuit. Neque dubium quin pro adaucta sibi caritate, rautiùs quoque eandem nobis impartietur.

C A P. X X X I I I.

De S. Siluestro Papa.

SANCTUM Siluestrum Romanum Pontificem, & magni Constantini in Christo patrem, etiam inter sanctos hosce Tutelares alibi positum video. Causam indagavi, nec occurrit alia nisi quod in Actis eiusdem legitur, eum, draconem pestiferum, qui venenato suo halitu cines Romanos enecabat aërem inficiendo, ob signatis signo Crucis æreis, quibus specus claudebatur januis, perpetuo ergastulo mancipasse. Deprauata quidem in pluribus sunt nec ubique sincera veritate suffulta eius acta, vt ipse etiam libenter fatetur Baronius: Historia tamen ista de dracone complures habet Latinos pariter ac Græcos assertores. Ex quibus antiquissimus & eruditione clarissimus Venantius Fortunatus Episcopus Pictauiensis, qui vixit ante mille & ferme centum annos, in rebus gestis sancti Marcelli Episcopi Parisiorum, dum agit de immani serpente ab eo superato, eundem Siluestro Romano comparat, quod sicut iste draconem sigillauit, ita Marcellus iactauit. Inter Græcos præter Cedrenum & alios, Metaphrastes eiusdem rei assertor est.

Sed